



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Triplex Theologica, Ad Mentem Præclarissimi  
Ecclesiæ D. S. P. Avgvstini, (Cui consonat Doctor  
Angelicus cum Melliflvo,)**

**Schweitzer, Johannes**


**Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.LXXXII.**

Responsio secunda. Iusti in hoc statu de sua beatitudine securi sunt  
feliores, quàm fuit primus homo in Paradiso.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39320**

adjutorium, quale fuit datum & necessarium lapsis, id est adjutorium Quo medicinale, de quo latius actum in Dissert. cit. de sufficient. & necessit. grat. S. Thomas I. p. q. 95. a. 1. ad 3. aliter respondet & ostendit non obstare conclusioni allegatum textum.

Urgebis: Notam est illud Augustini: *Qui creavit te sine te, non justificat te sine te:* Ergo cum primus homo productus fuerit in perfecta etate, cum usu liberi arbitrii, ut probatum est ex S. Augustino, non fuit justificatus sine prævia dispositione; ac proinde in primo instanti creationis non accepit gratiam sanctificantem. Respondeo, primum hominem in primo instanti a Deo adjutum se ad gratiam sanctificantem disposuisse, & eam accepisse.



## DUBIVM SEPTIMVM.


*An primus homo in paradyso fuerit felicior omnibus justis in statu naturæ lapsæ?*

**N**OTA, Justos in hoc statu corruptionis posse distinguere in eos, qui certi sunt & securi de sua perpetua futura felicitate ex divina revelatione; & in eos, qui incerti sunt, an in bono usque ad finem sint perseveraturi.

Dico primò: Primus homo in paradyso fuit felicior omnibus justis hujus status de beatitudine non securis.

Probatur ex l. 11. de civit. c. 12. ubi S. Augustinus ait: *Quantum itaque pertinet ad declaracionem presentis boni, beatior erat primus homo in paradyso, quam quilibet justus in hac infirmitate mortali.* Idem colligitur ex c. 26. ubi ait: *Vivebat homo in paradyso, sicut volebat, quamdiu hoc volebat quod Deus jusserrat. Vivebat fruens Deo; vivebat sine ulla egestate;* hæc enim non possunt dici de hominibus justis in hac misericordia valle.

Dico secundò: Justi in hoc statu de sua beatitudine securi sunt feliores, quam fuit primus homo in paradyso. Ita Augustinus loco cit. *Quantum autem ad spem futuri boni, beatior quilibet in quibuslibet cruciatibus corporis, cui non opinione, sed certa veritate manifestum est, sine fine se habiturum omni molestia carentem societatem Angelorum in participatione summi Dei, quam erat ille homo sui casus incertus, in magna illa felicitate paradi.*



## DUBIVM OCTAVVM.

*An primus homo fuerit ante lapsum beatus beatitudine patriæ secundum Augustinum?*

**R**atio dubitandi sumitur ex variis Augustini testimoniis, quibus videtur afferere, primos homines

*ante*